

gicas: quia scilicet Logica ministra est, quoad res; licet sit magistra, quoad tuam rationem. Et ita patet, quòd ens & non-ens non solùm artificis, sed etiam artis Logicæ subiectum rectè dicantur. Nunc videamus finem Logices.

Finis artis
Logicæ.

4 Finis Logicæ proximus, internus, proprius, & totalis seu adæquatus est, tradere modum benè disferendi.

Suprà ostendimus, instrumenta Logica esse ideas seu exemplaria, quorum finis internus sit fabricare exemplata, hoc est, tradere modum fabricandi exemplata, adeoq; dirigere hominem in ipsâ disfertatione, ut possit exempla definitionum, divisionum & cæterorum exemplarium conficere. Hoc enim sensu $\tau\theta$ fabricare accipiendum est, ut intelligamus loca magnorum Logicorum, in quibus docent Logicam fabricare. Nimirum ut malleus à fabro factus eidem subservit: ita etiam Logica, partus rationis, vel filia à philosopho genita, eidem rursus inservit, quâ de re tale circumfertur ænigma, in quo Logica introducitur loqui:

Filia sum, cujus matrem vos esse putatis.

Principiò hæc genuit me, dein ea nascitur ex me.

Ergò mihi nomen proprio de nomine finxit,

Nominis ejusdem ut genitrix & filia dicar.

Hisce verbis complectimur finem Logices tum proprium, tum communem. Proprius finis, est tradere modum benè disferendi. Si enim subiectum tractationis in Logicâ est modus benè disferendi, necessum est, ut Logicus ad illud perfectè explicandum omnia sua præcepta dirigat. Finis communis est perfectio & directio hominis. Cùm enim homini per naturam ignotus sit ille modus benè disferendi, Logica illum modum homini explicat. Finis ille proprius est quoque internus, proximus, & totalis seu adæquatus Logicæ. Internus & proximus; quia cum illâ recipitur. Externus autem & ultimus est veritas in quâvis tractatione. Cùm enim veritate nihil per se dignius & præstantius sit (est enim summi ENTIS solius VERI radius quidam, solis jubare clarior & fulgidior) nihil menti à naturâ rectè formata, à doctrinâ informandæ clarius, nihil desiderabilius illâ esse

Veritatis
cognitio
quomodo
sit finis Lo-
gicæ.